

ecclesiae (traditio formalis), ubique gentium praedicata et omnium captui atque indigentis accommodata.

Propositio tamen ecclesiae rons theologicus tertius, peculiaris et quasi sui juris non est. Ecclesia enim a Spiritu S. novam revelationem non accipit, sed doctrinam e S. Scriptura ac traditione depromit, et Spiritu S. assistente custodit atque infallibiliter proponit.

CAPUT SECUNDUM.

De authentica Scripturae interpretatione.

§ 113.

Authentica Scripturae interpres est ecclesia docens.

S. Scriptura, ut fons fidei et morum inspiratus, tum ob singularem suam dignitatem, tum ob summum quod habet momentum, ne homines in re salutis a vero abducantur, bene intelligenda est. At quum sit insufficiens et obscura, interprete eoque non privato, qui errare et cui contradici possit, sed authentico idest certissima scientia et auctoritate irrefragabili praedito indiget. Si ergo Christus religionem et ecclesiam condidit, eamque immutabilem ac sempiternam esse voluit: authenticum doctrinae suae scriptae interpretem constituerit necesse est.

Sed quaeritur, *quis vel quid sit authenticus ille interpres.*

Propositio. Authentica atque infallibilis S. Scripturae interpres est ecclesia docens, et nemo alius. Quae propositio est consequens regulae fidei catholicae, et tum conditionibus authenticae interpretationis, ecclesiae propriis, tum perpetua ecclesiae fide atque praxi probatur. Specialiter

1. Ecclesia verum Scripturae sensum *scit* ex traditione, etquidem certissime atque infallibiliter. Nam

a) Sensus S. Scripturae est pars doctrinae Christianae, quae tota et clara traditione continetur, ergo ex hac intelligitur. Deinde sensus cujusvis dicti multo melius cognoscitur ex mente auctoris alias copiose et perspicue manifestata, quam ulla arte grammatica, logica et historica. Quum ergo traditio sit doctrina eorumdem apostolorum, qui Scripturas reliquerunt, uberior et clarior: non potest sensum Scripturae non complere (trad. dogmatica) et non illustrare (trad. exegetica). Atqui ecclesia traditionem i. e. totam Christi doctrinam possidet, ab apostolis acceptam, integram

conservatam et abhinc undeviginti saecula praedicatam. Ecclesia igitur, heres, custos et praeco traditionis, hanc ipsam et quem continet sensum Scripturae ignorare non potest.

b) Ecclesia in tota Christi doctrina custodienda ac praedicanda auxilio Spiritus S. et infallibilitatis dote instructa est. Ergo etiam pars illius doctrinae scil. sensus Scripturae a Spiritu S. in ecclesia custoditur et objectum est infallibilitatis.

2. Ecclesia *auctoritate et potestate* Scripturam interpretandi irrefragabili praedita est. Nam a) doctrina et sententia ecclesiae est norma verae Christi doctrinae infallibilis, ergo etiam norma interpretationis Scripturarum. b) Ecclesia est vicaria Spiritus S. auctoris Scripturae principalis, et successor humanorum ejus auctorum. Quum autem nec Spiritus S. nec prophetae et apostoli visibiliter in terra adsint, neque munere interpretis fungantur: potestas eorum Scripturam authentice interpretandi in vicaria et successore praesens adsit oportet. c) Christus Dominus authenticam interpretationem Scripturarum ecclesiae implicite demandavit, quum apostolis eorumque successoribus munus docendi commisit, iis totam suam doctrinam cum recta ejus intelligentia tradidit, atque ad eam conservandam et proponendam auxilium Spiritus Sancti, imo donum infallibilitatis promisit. Sensus enim Scripturae, ut patet, pars est doctrinae Christianae, et interpretatio ejus ad praedicationem evangelii pertinet.

3. *Nemo alius* praeter ecclesiam docentem authenticus Scripturae interpres in terris esse potest. Etenim dotes illas authentici interpretis sola ecclesia catholica habet, et nihil aliud nemoque huic muneri idoneus reperitur. Scriptura ipsa, privata Spiritus S. revelatio, sola ratio, quas protestantes assignant, authenticae Scripturae interpretes non sunt, ut infra demonstrabitur. Quibus nunc addimus, nec ipsam traditionem materiale per se, quum sit doctrina abstracta et monumenta ejus plerisque non sint obvia, interpretem Scripturae esse posse. (Traditio tamen materialis, puta consensus Patrum, fons est et altera norma interpretationis.) Si igitur ecclesia authentica S. Scripturae interpres non esset, tunc ejusmodi interpres omnino deesset, et Scriptura propter suam obscuritatem inutilis, imo male intellecta perniciosa esset. Et si ecclesia in explananda Scriptura errare posset, quum homines privati certe magis adhuc errare possint: prorsus impossibile esset sensum Scripturae verum certo cognocere. Sed tunc ad quid Deus Scripturam dedisset?

4. Ecclesiam authenticam Scripturae interpretem esse docent *S. Patres*.

S. Irenaeus ait: »Eis qui in ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, ... hi enim et fidem nostram custodiunt, et Scripturas sine periculo nobis exponunt.« (Adv. haer. IV. c. 26, 5.) *Clemens Alex.* scribit: »Illi, qui adversus ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, regulam veritatis amiserunt.« (Strom. VII.) Deinde *Tertullianus*: »Quis nunc medullas Scripturarum magis nosset, quam ipsa Christi schola? quos et sibi discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos, et nobis magistros adornavit, omnia utique docturos.« (Cont. gnost.) Et *Vincentius Lirin.*: »Forsan requirit aliquis: quid opus est, ut ei (Scripturae) ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illius sententiae erui posse videantur ... Idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.« (Commonit. c. 2. et antepenult.) Idem docent Origenes, *S. Cyprianus*, *S. Chrysostomus*, *S. Augustinus*, *S. Hilarius* et alii. Quibus accedit suffragium omnium theologorum catholicorum.

5. Revera ecclesia jus authenticæ interpretationis semper exercebat, falsas et hæreticas interpretationes damnando, et locos biblicos in demonstratione dogmatum adhibendo. Et potius regnantesque a se deficere passa est, quam interpretationem suam traditione nixam mutaret.

6. Ecclesiam authenticam Scripturae interpretem declararunt concilia. *Concil. Ephesinum* Nestorium damnavit »quod S. Scripturam se primum et solum intelligere, et omnes eos errasse jactaret, quicumque ante se magisterii munere præditi, divina eloquia tractassent, et præterea universam ecclesiam errasse, quæ ex illius sententia doctores ignorantes sequebatur.« (Apud Pallavicini, Hist. Conc. Trid. VI. 18.) *Concilium Trullanum* can. 19. præcepit: »Si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam (antistites) aliter interpretentur, quam quomodo ecclesiae luminaria et doctores suis scriptis eam exposuerunt.« *Conc. Lateranense* V. sess. XI. dicit: »Mandamus omnibus, qui evangelicam veritatem populum docturi sunt, ut S. Scripturam juxta interpretationem doctorum, quos ecclesia vel usus diuturnus approbavit, explanent.« Huc adde etiam decretum Concilii Tridentini mox exponendum.

Corollaria. *Vis* interpretationis ecclesiae hæc est. Authentica interpretatio exhibet sensum exegetice verum. At quum Scriptura sit inspirata et ecclesia infallibilis, necesse est, ut interpretatio authentica non modo exegetice, sed etiam objective vera sit etquidem infallibiliter.

Objecta authenticæ ecclesiae interpretationis sunt res fidei et morum, earumque fundamenta, consecraria ac relationes. Hæc enim sunt objecta prædicationis apostolicæ atque infallibilitatis. Res profanæ eatenus tantum objecta sunt, quatenus cum rebus fidei et morum necessario cohaerent, ut paragrapho sequenti uberius explicabitur.

§ 114.

Regula interpretationis catholice.

1. — Quum protestantes saeculo XVI. interpretationem Scripturae arbitrio hominum permetterent, regulamque interpretationis catholice impugnant ac deriderent: ecclesia catholica in concilio Tridentino regulam authenticæ interpretationis constituit ac legem dedit his verbis:

»*Ad coercenda petulantia ingenia decernit* (Sacrosancta synodus), *ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarantur, et poenis a jure statutis puniantur.*« (Sess. IV. de edit. et usu ss. II.)

Etiam professio fidei cath. ad decreta concilii Tridentini composita et a Pio IV. confirmata hæc habet: »S. Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia ... admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.« Concilium autem Vaticanum totum decretum Tridentinum iisdem fere verbis renovavit etiam *positive* præcipiens »ut is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater ecclesia.« (Sess. III. Const. de fide cath. c. 2.)

2. — Examinemus decretum Tridentinum per partes.

1. *Finem* decreti exprimunt verba: *ad coercenda petulantia ingenia*. Petulantia autem illa ingenia sunt homines *suae prudentiae* (vel potius temeritati atque imprudentiae) *innixi*, *S. Scripturam ad suos sensus* (saepe ad praejudicatas opiniones) *contorquentes*. Puta homines omnem auctoritatem praecipue antiquorum contemnentis, propriae sententiae atque inventionis laudem quaerentes, novitatis quam veritatis studiosiores, vanis conjecturis delectatos, Scripturae sensum depravantes. Petulantia haec vilem librorum molem exaggerans, vires contentionibus inanibus consumens, gravia studia impediens atque fundamenta scientiae labefactans, omnibus scientiis maxime noxia est; rebus autem fidei ac morum plane periculosa.

2. *Objectum authenticae interpretationis et ambitus legis* definitur: *in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium*. Res fidei et morum significant credenda et agenda, dogmata et praecepta revelata, sive ab ecclesia proposita, sive ex fontibus tantum revelationis nota; ergo omnia quae de fide divina et catholica vel saltem de fide theologica sunt. Sed res fidei ac morum latius adhuc accipiuntur, et lex extenditur in omnia, quae ad aedificationem doctrinae Christianae pertinent, idest cum systemate doctrinae Christianae necessario cohaerent; ergo in fundamenta (philosophica et historica), argumenta necessaria et consecutaria (fidei proxima), ex quibus doctrina Christiana pendet. Imo omnia intuitu fidei morumque et ad haec relata, in quantum talia sunt, sub legem cadunt.

Res fidei est e. g. sensus illius loci Joan. 14, 28. »Pater major me est,« qui tantum ad naturam Christi humanam, vel ad relationem personalem referri potest, non autem naturae divinae inaequalitatem significare. Ad aedificationem doctrinae Christianae pertinet sensus typicus multarum antiqui testamenti rerum, vel quaestio de fratribus Domini.

Quod ad *res profanas* (e. g. historicas) attinet, res ita se habet. In profanis, quae nullo modo cum doctrina revelata connectuntur, exegetae plena libertate utuntur. Haec enim per se objecta revelationis non sunt, ergo neque traditionis, neque authenticae ecclesiae interpretationis; ideo in his nec interpretatio vel sententia ecclesiae, neque consensus Patrum adest. At quia res illae profanae Bibliis continentur, ob hanc suam relationem nonnunquam aliquas Scripturae proprietates dogmaticas, e. g. inspirationem negativam vel absolutam veracitatem, participare, et eatenus indirecte ad fidem pertinere possunt. In hoc

casu non quidem interpretatio ipsa rerum profanarum, sed iudicium de eo, utrum interpretatio aliqua naturae Scripturarum divinae conveniat an non, ecclesiae competit.

3. *Norma* interpretationis catholicae constituitur verbis: *nemo . . . contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia . . . aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat*. Negativa haec regula etiam forma affirmativa proponitur in professione fidei Tridentina et in decreto concilii Vaticani. Ceterum ubi sensus ecclesiae declaratus vel consensus Patrum manifestus est, quod non est contra, eo ipso juxta est et vice versa. Regula ergo prohibet, ne interpres Scripturam contra sensum ecclesiae et Patrum accipiat, imo praecipit, ut eam secundum hunc, etiamsi verbis et argumentis aliis usus, interpretetur. Consensus cum ecclesia interpretationem facit *ecclesiasticam*, consensus cum Patribus *traditam* (patristicam). Ita etiam *sensus* est *ecclesiasticus* et *traditus*, quorum uterque est *sensus catholicus*.

A) *Sententia* autem *ecclesiae* variis modis manifestatur.

a) *Expresse*, si concilia vel pontifices, aperta loci mentione facta, aut *directe* ejus significationem declarant, aut locum *indirecte*, sine aperta sensus declaratione ad aliquid probandum afferunt.

Ita e. g. conc. Nicaenum II. declaravit verba Exod. 20, 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* ad solos Judaeos pertinuisse, et cultui s. imaginum in novo testamento non obstare. — Conc. Tridentinum verba Christi: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* (Matth. 26, 26. 28. et locis parallelis) sensu proprio in veram praesentiam esse accipienda, (sess. XIII. cap. 1.) *directe* docet. — Dicto illo Joan. 3, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* aquam baptismi proprie significari, (sess. VII. de bapt. can. 2.) *directe* declaratur. Idem locus alibi (sess. V. decr. pecc. orig. n. 4.) argumentum peccati originalis et baptismi parvulorum affertur, et ita *indirecte* explicatur. — Joan. 20, 22. 23. verbis Christi: *Accipite Spiritum S., quorum remisistis peccata etc.* institutionem sacramenti poenitentiae exprimi, *directe* docet idem concilium (sess. VI. cap. 14. et sess. XIV. de sacr. poen. cap. 1. et can. 3.) — Locum S. Pauli Rom. 3, 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis* concilium (sess. VI. cap. 8.) in fidem justificationis initium, fundamentum et radicem *directe* accipit. — Sententia illa Rom. 5, 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit etc.* argumentum peccati originalis affertur (sess. V. decr. de pecc. orig. n. 2. et 4.), imo etiam *directe* ad peccatum originale

refertur. — Verba Jacobi 5, 14, 15. *Infirmatur quis . . . inducat presbyteros etc.* concilium (sess. XIV. de extr. unct. cap. 1. et can. 1. 3. 4.) de extrema unctione, ejus ministro, forma et materia dicta esse, directe docet. — Concilium Vaticanum locos: Matth. 16, 17. sqq. et Joan. 21, 15. sqq. pro primatu jurisdictionis interpretatur. (Const. de eccl. c. 1.) — Luc. 22, 32. verba Christi: *ut non deficiat fides tua* patres Vaticani tamquam promissionem infallibilitatis accipiunt. (De eccl. Christi c. 4.)

b) *Implicite* ecclesia sententiam suam de aliquo loco aperit, si loci quidem mentionem non facit, nec ejus significationem dicit, sed aliam rem declarat, qua sensus loci continetur, quamvis non statim appareat. Id fit malam alicujus loci interpretationem reprobando, sententias falsas, perversa Scripturae interpretatione nixas damnando, praxim, disciplinam et ritus observando, cum quibus aliqua interpretatio congruere non possit. Similis implicita sensus declaratio generalis latet in approbatione versionis Vulgatae.

Ita e. g. conc. Constantinopol. II. damnavit interpretationem Theodori Mopsuesteni, verba Christi Joan. 20, 22. *Accipite Spiritum S.* tropice tamquam promissionem Spiritus S. accipientis. — Ecclesia Origenis evirationem damnando ea, quae apud Matth. 5, 29. 30. 18, 8. 9. 19, 12. leguntur, deinde chiliasmum rejiciendo verba Apoc. 20, 4. implicite interpretata est. — Versiculo orationis: »post partum virgo inviolata permansisti,« explicatur Matth. 1, 25. 13, 55. 56. — Quum ecclesia non obstantibus verbis Christi apud Matth. 6, 7. *Orantes nolite multum loqui* longiores preces fundit ac praescribit, quum adversus verba illa Matth. 28, 19. et Marc. 16, 16. *docete — baptizantes et qui crediderit et baptizatus fuerit* infantes baptizat, verum locorum illorum sensum implicite ostendit.

c) *Per analogiam doctrinae (virtualiter)*. Ecclesia sine ulla declaratione sensum alicujus loci docere potest ipsa doctrinae suae summa, quae vel rationem alicujus interpretationis (antecedens consequentis) continet, vel alias cum aliquo loci sensu connectitur, vel aliquam interpretationem excludit, vel cum una sola consonat. Sensus systemati doctrinae ecclesiae ita conveniens vocatur *fidei ecclesiasticae analogus* vel *fidei congruens*. (Praeterea sensus potest esse congruens cum fide biblica — totius Scripturae vel ejusdem auctoris — et cum fide tradita.) Ipsa haec congruentia alicujus sensus cum doctrina ecclesiae, utique ex fontibus revelationis hausta, vocatur *analogia fidei ecclesiasticae*. Ut interpres analogiam fidei reperiatur, in tota theologia versatus sit oportet.

Corollaria. Circa auctoritatem sensus ecclesiastici sequentia notanda sunt.

a) *Vis interpretationis ecclesiasticae ultra intentionem ecclesiae non extenditur*. Ergo tantum ea verba ex ea parte explicata ac definita sunt, ad quae et quatenus interpretatio certe et clare refertur, non autem totus locus.

b) *Sensu alicujus loci declarato qualitas sensus non definitur*; ideo incertum manet, utrum sensus ille sit proprius, an improprius, utrum verbalis, an realis, an spiritualis. Imo non est impossibile, ut in decretis conciliorum et pontificum loci Scripturae sensu accommodato citentur (quod in liturgia saepissime fieri constat); id autem in decretis dogmaticis unquam fieri, vix credibile videtur.

c) *Sensus, quem ecclesia directe manifestat, in quantum declaratus, ob infallibilitatem ecclesiae de fide est*.

d) *Sensum locorum, qui indirecte tantum explanantur, plerique theologi censent certitudine fidei declaratum (de fide) non esse, et exegetam eo non obligari*. (Ita Perrone, Möhler, Kohlgruber, Reithmayr.) Rationem afferunt, quod sola decreta dogmatica magisterii ecclesiastici sint infallibilia, non autem eorum argumenta ac motiva; et dogma definitum ex aliis argumentis verum maneat, etiamsi locus allegatus ad rem non pertineat. Nobis tamen videtur tunc, si concilium expresse dicit, aliquo loco dogma contineri, minimum id certum esse, eo loco revera de dogmate agi; ergo tales locos saltem eatenus explicatos esse, quatenus rationem argumenti habeant. Ceterum vis hujusmodi allegationis a contextu et a verbis quibus locus allegatur, dependet. Quali autem sensu argumentum et dogma loco contineatur, verbisne an rebus, et quibus verbis, in medio relinquitur.

e) *Sensus loci implicite manifestatus* (fidei proximus, fide certus, ad fidem pertinens) *per se plerumque negative tantum definitus est*, i. e. sensus declarationi evidenter repugnans falsus demonstratur, sed quinam verus loci sensus sit, non indicatur, nisi praeter damnatum unus tantum sensus sit possibilis. Plerumque enim plures sensus declarationi implicitae congruere possunt; et ideo sensus ei non contrarius, non est eo ipso verus. Id autem plane non significatur, quodnam verbum et quam parte ac ratione errorem contineat. Approbatio Vulgatae sensum ejus fidei biblicae analogum, non autem certo aliquo loco genuinum esse probat.

f) *Etiam analogia fidei sensum nisi negative non definit*; scil. sensus analogiae evidenter repugnans falsus est, sed sensus fidei analogus eo ipso verus non est. Saepe enim plures sensus fidei analogi esse possunt.

B) *Consensus Patrum* (et aliorum testium traditionis) unanimis seu moraliter universalis sit oportet.

Distinguendi autem sunt in Patribus testes traditionis et doctores privati. Consensus Patrum tunc tantum est norma interpretationis, si sunt testes traditionis; sententiae autem eorum privatae in exegesi tantum valent, quantum argumenta, et semper diversae sunt ac saepe mutabiles.

Patres *testes traditionis* esse cognoscuntur a) si quod docent, ab apostolis acceptum esse vel fidem ecclesiae dicunt. Tali enim assertioni si vera non fuisset, vigilantia zelusque fidei antiquorum certe contradixisset, cujus controversiae memoriam historia nobis tradidisset. b) Imo ipse consensus Patrum per se traditionem apostolicam arguit. Si enim scriptores loco et tempore inter se distantes, ingenio et cultura diversi, locum aliquem S. Scripturae similiter accipiunt, alia contentus hujus causa esse non potest, quam aut evidens Scripturae perspicuitas, aut Spiritus S. omnes eos edocens, aut vero traditio apostolica. At quum neque Scriptura ipsa tam clara sit, neque Spiritus S. singulis Patribus adstiterit (quamquam interpretatio Patrum etiam in his casibus recta ac vera esset): vera consensus ratio non potest esse, nisi traditio apostolica. — Non sunt autem Patres testes traditionis, si ipsi profitentur, se opinionem subjectivam proponere, si inter se repugnant atque in contrarias partes disputant, vel si idem plures sententias profert vel sententiam mutat.

Consensus autem Patrum eo clarius ac certius traditionem apostolicam ostendit, quo plures, antiquiores, magis per orbem dispersi et diversorum magistrorum discipuli consentiunt. Memineris etiam scriptores malae notae posse testes traditionis esse, si cum Patribus consentiunt; ita e. g. Origenem, Tertullianum, imo Celsum, Tatianum et alios.

Sufficit consensus *moraliter unanims*, idest tot et talium Patrum, quorum testimonia fidem totius ecclesiae repraesentare possint. Non requiritur consensus mathematice universalis, quia multae sunt res, de quibus complures Patres occasionem loquendi non habuerunt. Imo nec eorum, qui rem tractant, consensus plane unanims necessarius est; quia inter antiquos scriptores atque ipsos Patres fuerunt, qui a vera traditione in quibusdam rebus aberrarunt. Ita S. Irenaeus in chiliasmo, S. Cyprianus in causa baptismi haereticorum errarunt. Ergo si plerique Patres antiquissimi et maximae auctoritatis consentiunt, et nemo ab iis quin reprehendatur, dissentit; imo si multi Patres insignes praesertim antiquiores, patria et aetate diversi, aliis tacentibus nemine

autem contradicente fidem ecclesiae testantur, vel saltem tanta cum fiducia loquuntur, ut nullam timeant contradictionem: haec jam sufficiunt ad consensum Patrum unanimem demonstrandum. Ubi autem consensus Patrum deest, cuique eorum accedere vel ab omnibus recedere licet.

Consensus Patrum in rebus *fidei ac morum* norma interpretationis obligatoria est. Sensus, in quo SS. Patres consentiunt, est de fide theologica certus, et interpretatio ei opposita est falsa (erronea). In rebus *profanis* Patres, etiamsi consentiant, salvo honore relinqui possunt. Sicut enim antiqui, aetatis suae opiniones forte imperfectas vel falsas secuti, ideo vituperandi vel deridendi non sunt: ita nec interpretes moderni, melioribus subsidiis nixi, antiquos errores corrigentes temeritatis vel honoris laesi possunt accusari.

Deinde interpretatio Patrum non solum litteralis, sed *etiam typica* norma interpretationis est; non autem sensus accommodatus ac mysticus ab illis saepe adhibitus. Ideo in exegesi magis opera Patrum dogmatica atque exegetica consulenda, quam sermones, nonnunquam pietatis vel eloquentiae causa sensui illato nimis indulgentes.

Praeter S. Patres etiam *interpretum catholicorum* post Patres florentium ratio habenda est. Ab eorum sententia communi in textu dogmatico explicando sine gravi causa recedere temerarium esset. Consensus enim eorum aut magna loci perspicuitate, aut consensu SS. Patrum, aut analogia fidei evidenti efficitur, et certe saltem tacitam assensionem ecclesiae arguit, quae defectionem a traditione et falsam interpretationem non pateretur. In locis non dogmaticis etiam a communi consensu interpretum dissentire et novas sententias proferre licet, praesertim si quis novis documentis vel fontibus antea ignotis utatur. Eo magis id licet, quando neque antiqui interpretes consentiunt; dummodo opiniones arbitrario fictae non sint, sed probabili nitantur ratione.

Ad rem dicit S. P. Leo XIII. in encycl. *Provident. Deus*: »Non omnes aequae sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem (Scriptura) declaranda ediderint; qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper judicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quatenus reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quatenus unanimi tradant consensu; namque in his, quae de necessitate fidei non sunt, licuit sanctis diversimode opinari, sicut et nobis, ut est S. Thomae sententia«.